



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 85. Confessio Augustana Magdeburgi acceptata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul XVI.  
A. C. 1566.

posita, eaque in suo ambitu Palatium, armamentarium, valetudinarium, Ecclesiam Prioratus ad Sanctum Joannem, necnon hospitia, seu Nationum diversoria complectitur præter propugnaculum sancti Elmi, quod in extrema hujus urbis parte constructum ad mare protenditur, atque utriusque portus aditum tuetur.

§. LXXXV.

*Confessio Augustana Magdeburgi  
acceptata.*

Thuan. l. 38.  
n. 8.

Quantumvis summus Pontifex veram religionem conservare immoto studio niteretur, non tamen errorum progressus in Germania, minus in Saxonia Episcoporum opera sisti poterat, quippe Sigismundus quoque Brandenburgicus Joachimi II. Electoris Filius, postquam per quatuordecim annos Magdeburgensi Ecclesiae Archiepiscopus præerat, Protestantium sectæ nomen dabat: morte tamen plectebatur eodem tempore, quo novos Ecclesiasticæ disciplinæ ritus invehere meditabatur: eo autem defuncto, cum Canonici pariter novitatum studiosi essent, electione facta subrogarunt Joachimum Fridericum tum unicum Joannis Georgii Brandenburgici Electoris Filium, qui recens electus Archiepiscopus ex Canoniorum consilio inchoatam a Patruo suo doctrinæ,

næ, ac disciplinæ mutationem ad exitum perduxit, & Magdeburgi in primario civitatis templo primum pastorem Augustanæ Confessionis Sigifridum Northufanum instituit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.

Postea Rottemburgum exigua inferioris Saxonæ Urbs pariter ejurata Pontificis obedientia Augustanam confessionem adoptabat, & Christophorus Megalopolitanus, Halberstadiensis Episcopus, cujus imperio subditi erant Rottemburgenses, ibidem instituit Georgium Ufelerum, qui Lutheri sectam ibidem disseminaret: equidem huic temeritati sese opponebant Halberstadienses, qui etiam, ut avitam Religionem sartam servarent, Henricum Julium Henrici Brunsvicensis Ducis Nepotem nonnisi biennem elegerunt, qui tamen ipsemet progressu temporis Protestantium hæresin amplectebatur.

§. LXXXVI.

*Monasteriensis Episcopus Canonicis ob concubinarum ejectionem exosus.*

Sub idem ferme tempus Bernardus Rasfeldius Monasteriensis Episcopus, cum a summo Pontifice mandatum de concubinis removendis accepisset, illudque in Diæcesis suæ Synodo promul-

Thuan. l. c.